

# Beiband 2

## H.I S. 14

1157 März 28.

[21]  
Bischof Bernhard I. von Paderborn schenkt dem Kloster Helmarshausen 1½  
Mansen in Haldiggen (Kr. Hofgeismar) und Neubruchzehnten.

B. Dei gratia Patherbrunnensis episcopus omnibus fidelibus Christi tam  
presentibus quam futuris. Quoniam benignus dominus, qui abundantia pietatis  
sue et merita supplicum excedere novit et vota, de pulvere humilitatis nos  
suscitare dignatus est et erigere, ut collocaret eum principibus populi sui  
super solium pontificalis glorie, dignum est nos beneficiorum eius per omnia  
non inmemores existere. Sed quia gratuitate largitati eius ex equo respondere  
non possumus, conveniens est, quod sanctis eius aliquod nostrae devotionis  
obsequium offeramus, ut quia reverentia et honor ipsis impensus in eum,  
propter quem impenditur recurrir, eorum patrocinio veniam excessuum nostrorum  
impetremus, quam nostris meritis obtinere diffidimus. Placuit ergo  
nobis ecclesie beatæ Dei genitricis Mariæ sanctique Petri apostolorum principis  
in Helmwardeshuson mansum et dimidium in villa Haldiggen dicta cum  
duabus areis et omnibus utilitatibus ad eas pertinentibus ad usus fratrum  
in prefata ecclesia Deo servientium cum consilio fidelium nostrorum tradere  
consentiente pariter et rogante Johanne, qui eas in beneficio a nobis acceperat.  
Volumus autem et in verbo Dei decernimus, idem prelium, cum primum ab-  
solutum fuerit a Johanne, in prebendam fratum pro remedio anime nostre  
permanere, atque aliquem laicorum eo inbeneficiari prohibemus anathematis  
imminatione. Preterea tradimus eidem ecclesiæ decimas novalium, quæcumque  
patres eiusdem loci potuerint elaborare. Ut autem hæc traditio nostra, quæ  
sine alicuius personæ reclamatione facta est, rata permaneat, impressione  
sigilli nostri et banni nostri obtestatione roboramus, ut cum démonibus portio  
eius sit, si quis eam forte, quod absit, temerare vel infringere presumserit.  
Huius traditionis testes sunt canonici maiores ecclesiæ Bernhardus prepositus,  
Almarus decanus, Thietmarus, Ecbertus, Reinbertus prepositus, Sigfridus et  
ali plures. Laici vero Boimundus, Liuoldus, Heinricus, Helmwigus et  
alii multi.

Data V. Kal. Aprilis anno dominice incarnationis M.C.L.VII, indictione V.  
Orig. Siegel ab.

Auf dem Rücken: De duobus mansis in Haldiggen et de decimis omnium  
novalium. XIV.

Druck Schaten ad ann. 1158. Bergl. Pfaff, Helmarshausen, S. 31.